



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De ordine ducendi funus episcopi, chorepiscopi & archidiaconi, & de officio  
exequiarum. Capvt LXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ne inter eos sit, qui illum seruum nequam imitetur, qui talentum domini sui abscondit, & non est in eo negotiatus; quem iratus dominus in tenebras exteriores mitti iussit. Et hic Canon caret excommunicatione.

*De officio in ecclesia horarum diurnarum & nocturnarum, & de oratione pro omnibus qui eam ecclesiam gubernant.*

#### CAPVT LXIV.

Vt in omnibus horis diurnis & nocturnis in principio & in fine orationis fiat cū deuotione memoria episcopi, & oretur pro salute eius, & vt oratione eius populus adiuuetur. Sabbato autē & diebus festis, quando sunt sancta super altare posita, diaconus memoriam faciat, nominatim primum patriarchæ, deinde archiepiscopi, episcopi, chorepiscopi, archipresbyteri, archidiaconi, quia isti sunt gubernatores ecclesiæ; idcirco nominandi sunt ad altare in ecclesia, quandoquidem per eos omnia ecclesiastica administrantur, & ipsi sunt in ecclesia superiores. Et qui contradixerit, sit excommunicatus.

*De ordine ducendi funus episcopi, chorepiscopi & archidiaconi, & de officio exequiarum.*

#### CAPVT LXV.

Quando moritur episcopus, debent chorepiscopus & archidiaconus præire funeri, vt si filii præeant funeri patris: quando vero aliquis horum moritur, debet præire episcopus, vt si pater præeat filiis mortuis. & legantur in funere ea quæ doctores & sancti patres spirituales de oratione constituerunt: intersintque funeri omnes subiecti eis, si quidem vocabantur eorum omnium patres; & nun-

ANNO CHRISTI 335.  
tietur de morte eorum omnibus ecclesiis & monasteriis illius parocciæ, vt fiat oratio pro eis. & hic Canon caret excommunicatione.

*De ducente alteram vxorem dimissa quacumque de causa priore, vel etiam non dimissa, & de falso accusante vxorem de adulterio.*

## CAPVT LXVI.

Quicumque sacerdos aut diaconus vxorem suam propter fornicationem dimiserit, aut ob aliam causam, vt supra dictum est, aut domo eiecerit propter bona externa, vel vt illam altera pulcristiore aut meliore aut ditore mutet, vel propter concupiscentiam suam, quod Deo displicet; & illa ob has causas dimissa, ipse cum altera matrimonium contraxerit; aut non dimissa, alteram duxerit, siue liberam, siue seruam; & ambas pariter habeat licet separatim habitantes, & singulis noctibus cum altera earum cubet, vel eas in eadem domo vel in eodem lecto habeat, deponatur. Si vero fuerit laicus, prohibeatur communione fidelium. Sin autem falso aliquis vxorem suam de adulterio infamarit, vt eam dimittat, inquirendum diligenter de hac re est; & si hoc falsum fuerit, deponatur, si ex clero est: sin autem laicus, prohibeatur ingressu ecclesiæ & communione fidelium, & cogatur habitare cum ea quam infamauit, quamuis deformis & pauper & insana sit. & qui non obedierit, a Synodo excommunicatur.

*De ducente simul duas vxores, & de muliere fideli nubente viro infideli, & de forma recipiendi eam ad pœnitentiam.*

## CAPVT LXVII.

Quicumque duas mulieres in matrimonium si-

*Concil. Tom. 2.*

00 ij